

Za  
5505






EPITHALAMION  
 IN HONOREM NVP-  
 TIARVM ORNATISSIMI VE-  
 RAQVE PIETATE, ERVDITA DO-  
 ctina, & virtute conspicui Iuuenis IOAN-  
 NIS COLERI

Sponsi  
 ET

HONESTISSIMAE AT-  
 QVE CASTISSIMAE VIRGI-  
 nis, MARGARITAE RABIAE Sponsae celebratarum Halæ Saxonum die 7. M.  
 Augusti, scribebat

IACOBVS LVCIVS HALENSIS  
 L L. Studiosus.



HALÆ SAXONVM  
 Typis Pauli Græberi. 1599.

La 5505 QK

09 Jan 2016



## EPITHALAMION.



*T jure, & merito casta vir doctus inha-  
ret  
Virginis amplexui, bellaq; est Virgine  
dignus:*

*Nam stella ut celum, lux aëra, populus amnem,  
Et virides ornant candentia lilia campos,  
Sic hominem Doctrina ornat, cultur aq; mentis:  
Et quantum superat Titan splendore sororem,  
Hesperus & stellas reliquas superminet omnes,  
Tantum arte excultus superat rudis agmina  
vulgi;*

*Namq; hic perscrutans sanctissima dogmata  
verbi*

*Divini, atq; docens uera sacra mystica voce  
Vi sacri Flatus cœlesti nectare plantat  
Cœlos. Ille utrius sinuosa volumina juris  
Assiduè voluens scit leges, fœdera, pacta,  
Quanta etiam fluxit Pyllo facundia lingua  
Inter Peliden dirimit dum litem & Atriden,  
Censet & oranti reddi sua pignora patri:  
Seu culto ut tenuit quondam sermone Pelasgos  
Pro sociis aptè fecit dum verba diserta,  
Cultori Themidos tanta est & gratia lingua:*

*In de*

Inde sua vocis fissus munimine, fatum  
Ambiguum causa dirimit, lapsumq; vicissim  
Erigit, ac fessum reparat, salvatq; parentes  
Et patriam, lites, causasq; tuetur amici,  
Excitat afflictos, agris succurrit, & arte  
Captivum redimit, famam vitamq; tuetur.  
Cognoscens morborum alter genus omne malorum,  
Quaeq; herba egrotis prosint, obsintq; subinde,  
Ut medicis poculis recreet lue tabida membra,  
Et multos vitæ fugienti proroget annos  
Exsuperat verè docta arte Machaona doctum  
Ac Amihæoniū superat medica arte Melæpū,  
Alter dum Sophia primis incumbit ab annis  
Abs ullis vitiis proferre, & scribere novit  
Voces, ac Logices perplexas solvere technas,  
Cumq; illi in procerum conventu copia fandi  
Sit data, sic format voces, ac verba figurat,  
Ausoniis quondam ceu fecit verba diserta,  
Caesar. de magno traducens nomen Iulo;  
Quinetiam Phœbum cytaris, ac Orphea cantu  
Vincit, dum callet resonantia tangere fila,  
Tedia, vel vitæ vocali voce levare,  
Adde quod exsuperet numeris Euclidē & ipsum  
Dum studet & mundi causas exquirere, novit  
Cur

Cur unda salsa, cur ignibus aestuet Aetna,  
Et vomat epotas undas metuenda charybdis,  
Dumq; poli observat stellas, caeliq; meatus,  
Scit sint unde Hyades, Plejas vel Syrius ardens,  
Unde oriens, qua deficiat, redeat vè coactis  
Cornibus in plenum (visu mirabile) Luna,  
Et sol cur prætexit equos caligine nobis:  
Dein certo radio permensus climata terra,  
Armenio quantum distet scit Tigride Rhenus  
Et quantum distet Tanais de flumine Nili,  
Non secus ac coram fines lustrasset ut orbis,  
Nomina sic orbis poterit dare finibus ille:  
Horum num quiddam calles indocte Petulce?  
Quis nisi mentis inops, Docti miserescere  
nolit?

Propter tot varios casus, vitæq; pericla,  
Quæ (gens Phœbi ignara attēde) scientia amore  
Et terra & pelago, dictu miserabile, perfert?  
Invidia ò premitur quoties à plebe maligna,  
A vulgo ò quoties tolerat convitia lingua?  
Adde quod huic studio stomachus crude scat,  
hebescat  
Visus, & accedat macies, ac pessima tandem  
Pauperies multos (referens horresco) sequatur.  
Ante

Antè ego quam possim doctorum fata referre,  
Ionii ponti fluctus magè dicere coner.

Et segetes Lybia, aut cœli numerare favillas.

Dic mihi quæ virgo studiosum nolit amare?

Antè graves ergò pascentur in aëre tauri,

Et pictæ volucres liquidis capientur in undis,

Ac lepori vertet timido sua terga catellus,

Et scelus Ismarii reticebit hirundo tyranni,

Virgo quàm precibus docto tentata repugnet,

Nubere quàm & docto nolit: proh nocte dieq;

Quelibet exoptat cultorem Phocidos amnis,

Sapius in doctum figit sua lumina virgo,

Nec valet expleri mentem, ardescitq; tuendo.

Quid gestus referam, mentè, moresq; pudicos

Quos habet Aonidum cultor? mulcere puellas

Voce potest, plectra percurrens fila sonora,

Eius & eloquiũ cythiso omni dulcius Hyblæ est?

Orphœus & summo laudis celebratur honore

Quod cantu Ismarii gelidis in rupibus AEmi

Proceras quercus, ac aspera saxa movere

Bisthonis, ac Hebri currentis magna morari

Flumina, & ore suo volucres retinere valebat:

Ast ego laudo virum ingenua & docta arte pe-

ritum,

Flect-

Electere quando potest Musas Heliconae colentes,  
Et laude illarum sacrum concendere montem,  
Monstra ubi plura latent, inquam, crudelia  
monstra,

Quae (scelus infandum, visu et lachrimabile dictum  
Sapè istis juvenes decedere sedibus arcent,  
Iusuper & doctus dictum est affabilis omni,  
Estq; illi gravitas, prudentia, candor, honestas,  
Et (doctos homines animosa scientia servat)  
Rebus in adversis menti solatia praestat;  
Ipsa licet duris fors hunc premat aspera rebus,  
Nec fluat auriferis undis Pactolus & Hermus,  
Nec sit Tanariis domus illi structa columnis,  
Vel sua Phaeacios superent pomaria saltus,  
Nec teneat Medus segetes quas demetit arvis  
Iugera vel culta teneat quam plurima terra,  
Non tamen affligit variis sua pectora curis,  
Sed potius frontem, pulso moerore, serenat,  
Et vitam tranquille extrema per omnia ducit:  
Namq; est nulla dies adeò caligine tecta  
Ut non Phobeam interdum jubar emicet arce,  
Nec locus in terris ubi non & lilia surgant  
Duris conspicienda rubis: nec saevit in orbe  
Tàm fortuna gravis, quin non & gaudia quadã  
Enite-



Eniteant: semper sinuat nec Apollo sagittis  
Arcum, sed tangit cytharam quandoq; sonorã,  
Et movet arguto reticentes carmine Musas.  
Quis, nisi mentis inops, dotes has conferet auro?  
Divitiæ pereunt, gemmae franguntur & aurum,  
Sidonio textæ scinduntur pectine vestes,  
Robur, honor, species pereunt, pereunt & amici,  
Sunt jam ubi Pyramides jam ubi templa Ephe-  
sina Dianæ?

Sunt ubi tam clara quondam Capitolia Romæ?  
Est & ubi Mausolei fortuna sepulcri?  
Elæna, etas, pluvia, aut bellu subduxit honores.  
Quem latet Antiochi, latet & quem copia Pori?  
Quem fugit Aleæ, quæ multa pecunia Crassi?  
Quemue latet Cræsi, & congesta pecunia Midæ?  
Haud ullus portavit opes Acherontis ad undas  
Illis nec tantum potuit conferre facultas  
Eximia laudis quò possint nomina habere,  
Ast semel ut stygias Erebi petière lacunas,  
Undis jam illorum Lethæis exulat umbra,  
Lydus Dulichio nec differt Croesus ab Iro,  
Garrulus in mediis jamq; aret Tantalus undis:  
Sed si quis sacras, paucis contentut, honorat  
Musas, ille sibi quærit memorabile nomen,

Hic

Hic vitam vivet tellus dum robor a profert,  
Dum cœlum stellas, dumq; undas amnis habebit  
Nam virtus nunquam pretiosior interit auro,  
Et sola est immortalis Doctrina, perire  
Quæ nequit, hanc nullus siquidem, verissima res  
est,

Fortuna incursus tollit, corrumpit & istam  
Non adversa lues morbi, hancq; calumnia nulla  
Distrabit, & nullis nocumentis corripit etas:  
Præterea Ars gazis longè anteferenda caducis  
Ars siquidem ingenii nebulas ita disiccit omnes  
Ut verum propius quicumq; homo cernere possit:  
Ars etiam format mores, & pectora mollit,  
Tollit & ex humili prognatos stirpe parentum  
In lucem, doctosq; aeterno donat honore,  
Quod pietas superest, probitas & semen honesti,  
Et virtutis honos, ea sola scientia fecit:  
Adde quod & Reges operam imposuere potentes  
Ingenuis studiis, animo dum publica cura  
Cesserat, aut vacui cum copia temporis esset,  
Nempè modo ut teneant victuræ laudis honores  
Et sit post cineres illorum fama superstes:  
Principis est etenim non tantam bella subire  
Virtus, vel ficto contendere equestribus armis  
Marte

Marte, sed est virtus etiam termaxima mente  
Artibus excolere ingenuis, & voluere libros  
Ingenio forum Doctorum, ut tempus utrunque  
Et belli & pacis recta virtute gubernet,  
Nec solum sibi Marte, sed & docta arte trium-  
phos

Comparet, ac quarat magnū & laudibile nomen:  
Sic fuit Aonidum Musarum Scipio cultor,  
Qui victa meruit magnum Carthagine nomen,  
Et turma Ausonia confregit Punica sceptrā,  
Sedulus is libros siquidem circumtulit armis  
In mediis, scripsit Xenophon quos nomine Cyri,  
Et populis templa, ac extruxit culta Lycaea  
Musis, & crebris texit conatibus artes.  
Quē Ducis AEmathii fugiūt Mavortia bella?  
Non tantum bello fuerat, sed & arte celebris,  
Nam legit, sermē historiae testantur ut omnes,  
Cum summo studio Smyrni carmina vatis,  
Sepē inter belli lituos, sonitusq; tubarum,  
Et sua cum placida reparavit membra quiete,  
Ille fuit solitus librum supponere stratis.  
Sic & Lotharii nomen laudesq; manent,  
Quando restituit spaciosa volumina juris  
Proponens populis leges, & scita tenenda,

Ne.

Ne sine lege ruant incauti in crimina quævis:  
Sic & semper erit Philadelphi fama superstes,  
Dum magnis lepidas provexit sumtibus artes,  
Ac alii multi quos jam comprehendere longum:  
Scilicet hæc summos evexit gratia Reges.  
Sic nisi doctorum superessent scripta virorum,  
Nec sibi Pierides servassent carmina Musa,  
Esset cum Troia Priami jam fama sepulta,  
Nec foret AENEAE nomen, nec nomen Vlyssis:  
Quis Caroli quinti cognoscere Caesaris acta  
Possit? vel Mahometigenæ malefacta referre,  
Urbes ut cepit, populosq; ut fraude cecidit?  
Ni veterum sacri scripsissent facta poëta,  
Unda canosa Mari, ac Eumæe lateres,  
Vixq; tuum nosset Curti jam secula nomen.  
Quis nisi mentis inoptus, jam his dotibus eveher  
aurum?  
Quem non laudis amor trahet, aut bona fama  
movebit,  
Is nisi Lernæo cretus de sanguine monstri est,  
Et dedit Armeniis huic Tygribus ubera mater:  
Artes ingenuas conservat gloria fama:  
O nimium felix, felix ô terq; quaterq;  
Bellerophontæis undis qui labra rigavit,  
Quem

Quem & Deus ingenii donis felicibus ornat;  
Sic licet, heu, Doctus malesani fabula vulgi  
Sapius, & nimium in doctos fremat improba  
turba,

Nilq; agat Aonias artes quicumq; laborat  
Discere, & ars tantum nostro sit tempore, scire  
Nil, nihil & didicisse, viros vel temnere doctos:  
(Quid mirū est ranas maledicere, stridere muscas  
Calce ferire asinos, & dente nocere molo sso?)  
Rusticitas licet, heu, placeat, jam & sola trium-  
phet,

Rusticitas fasces gerat, & regat alta theatra,  
Non tamen à studiis quisquam desistat honestis,  
Sed cōstanter opus per agat magē, quod bene capit  
Perferat & duret dolor hic nam proderit olim,  
Tempus erit forsā rumpantur ut ili a vulgo:  
Optata in studiis sperat qui attingere metam,  
Docta & doctrina praestantes inter haberi,  
Corpore non metuat quævis adversa subire,  
Nec renuat tristes animo perferre labores,  
Est onus, ast & honos didicisse fideliter artes;  
Est quibus Alcida virtus incognita? tandem  
Qui post tot varios casus, & multa pericla  
Igni vomū domuit virū, & accumulatus honore  
Nunc

Nunc hospes superis qui dicitur additus esse:  
Non nisi continuo virtus sudore paratur.  
Desino plura loqui, ac evoluerè plura cesso,  
Ne videar sparsas conchas per littora ponti  
lonii numerare, & apes quot colle vagentur  
Sicanio: lingua mihi si tot fauce sonarent,  
In fronte & cervice Argus quot gessit ocellos,  
Non omnes docti laudes perscribere possem:  
Ergò nunc hilarem studiosi degite vitam,  
Guaviter & colite Aonias, diæ numina, Musas  
Sic lepida vestri tangentur amore puella,  
Et thalami consors optabit qualibet esse,  
Ac Deus ipse cui tellus, cui pontus & æther  
Obsequitur, summiq; tremet plaga lucida cæli  
Vos vero complectetur vigilanter amore,  
Ac vobis aliquando probam donabit amicam.  
Gratulor ergò tibi de nupta sponse pudica,  
Et Te Musa, fidesq; canit, laudatq; virtus,  
Insuperes cultis ornatus, Apolline teste,  
Moribus, & pariter vita omni labe carente,  
Namq; ubi vivificas, notum est, vix missus in  
auras,  
Te Musa fovère sacra, te gessit in ulnis  
Crephei genitor, tingens tua guttura fonte  
Casta-

Castalio, hinc calles Logices dissolvere nodos  
Non sine laude Sophistarum munimine vocis  
Fisus: prater ea varias inquirere causas  
Novisti, & rerum naturas cernere mentis  
Auxilio, his missis, coluisti jura sacra,  
Hinc nosti quicquid Codex, Digesta, Novella,  
Feudaq; contineant, Canones, Decretaq; Papae,  
Ut possis perplexi anigmata solvere juris  
Utrius, & fontem tutari jure clientem:  
Quis narret mores, mentem, gestusq; decentes,  
Atq; tui dotes animi quis carmine dicat?  
Omne tenes quod habere decet, me iudice, doctum,  
Ergo tibi merito debetur corpore sponsa  
Prestanti, ergo tibi merito jam ducitur uxor  
Quae sic virginei catus exornat honorem,  
Tanquam pubescens foliis Hyacinthus oderis,  
Qui primum Oebalio florem de sanguine traxit  
Est hortis decori, & riguis decus adjicit hortis,  
Sic & sponsa nitet, talem fert ore colorem:  
Lumina quid referant, digitos, quid eburnea colla  
Narrabo, quid maxillas aspergine tinctas?  
Sponsa genis Floram superat, candore Dianam  
Quam posito infelix Actaeon vidit amictus  
Virginibus cincta sua membra in fonte lavare,  
Qui

Quinetiam sponsa cedit Tithona capillis,  
Lada oculis, iuno ventre, et Venus alma papillis  
Qualiter in calo splendescit Luna sereno,  
Quale vel Oceani nitidis iubar exerit undis  
Lucifer, Aurora, ut notum est, qui previa stella,  
Sic micat ore nitor, sponsa sic lumina flagent,  
Digna satis virgo pro qua Neræius heros  
Pugnet, et Alcides magnus, vel et inclit Hector  
Cum tibi nunc igitur ducatur munere Christi  
Sponsa, quid ergo tibi fausto precer omine quaeso  
Ecce tibi gratator votis ardentibus optans  
Spiret amor placidus, Deus ipseque debita iura  
Legitimi thalami regat, et tua coepta gubernet  
Sis felix, faveatque tuis concordia coeptis,  
Totque tibi eveniant anni feliciter, annos  
Olim quot Nestor Pylus feliciter egit,  
Nec Sol conficiat totum revolvibilis annum  
Quin tu sponse pater, quin mater sponsa voceris  
Vivite concordēs, concordī vivite mente,  
Evoe sponse decens vige, io vale, cresce, beare,  
Ac uti Maonia flagavit amore puella  
Cum famulis ducens data pensa Erithraeus  
heros.

Vel quantum Theseus arsit Minoida quondam,  
Seu



Seu Perseus dominā nigris quam duxit ub Indis  
Sic & ames sponsam correptus imagine formæ  
Eius & admotis committas oscula labris  
Latmius oscula dedit Phœbi olim quanta sorori.

Vivite concordēs, concordī vivite mente,  
Evoe sponsa decens, vige io, vale, cresce, beare,  
Quantum & Penelope stimulis agitata furoris  
Arsit, quando procos arte illudebat, Vyssen;  
Sic etiam casti simulis agiteris amoris  
Sponsa erga sponsum, tua erit qui sola voluptas  
Taliaq; affigas sponso oscula, qualia Phœbo  
Vix puer Oebalius tribuit, vel Tyndaris oscula  
Qualia vix olim raptori, aut qualia Dido  
Sidonis AENEAE quondam vix fixit in antro,  
Lesbia vel vati quondam dedit oscula Catullo,  
Sed quid pauca peto? dederis si suavia sponso  
Cœlum quot stellas, & habet quot littus arenis,  
Et silva quot habent frondes, & grāmina cāpus  
A Equore quot pisces, volucres quot & aethere  
tranant

Vel quotquot flocci nivei niveo axe feruntur,  
Si forsā sevit Riphæus frigum in orbe,  
Quod si præbueris inquam tot basia sponso,  
Sponsus contemnet convivia lauta Dearum,

Et

Et spernet thalamos Helena, thalamosq; Diones  
Nec cupiet quicquid fuscis portatur ab Indis,  
Oscla petita placent, decies repetita placebunt:  
Dein si non oculis, hortor, modo mente maritum  
Spectes, ac teneas fictos pro conjugē vero  
Vultus, si ad longas proficisci cogitur oras,  
AEmonis AEmonio ceu quondam ardebat a-  
more.

Ite domum Musæ, terram nox obruit umbris  
Roriferis, suadentq; cadentia sidera somnos,  
Sponse petas lepida tibi strata cubilia sponsæ,  
Te pius urat amor, quis enim modò adsit amor?  
Quin ergò castis castus cum postulet æstus,  
Suaviolis, placidaq; para te jungere sponsæ,  
Est data sponsa tibi, quæ non contemnit amorē  
Sponse tuum, sed te verè quæ diligit unum,  
Hæc tibi grata quies, curarū & dulce levamen:  
Fam sponsi salvete, iterumq; iterumq; valete;  
Plurima dicturo, non res, nec tempora desunt,  
Sed laus, pauca loqui, si possis dicere multa.

La 5505

QK

ULB Halle

3

004 840 240







B.I.G.

Farbkarte #13

36

EPITHALAMION  
IN HONOREM NVP  
TIARVM ORNATISSIMI VE  
RAQVE PIETATE, ERVDITA DO  
ctrina, & virtute conspicui iuuenis IOAN  
NIS COLERI

Sponsi  
ET

HONESTISSIMAE AT  
QVE CASTISSIMAE VIRGI  
nis, MARGARITAE RABIAE Spons  
sa celebratarum Halae Saxonum die 7. M.  
Augusti, scribebat

JACOBVS LVCIVS HALENSIS  
L. L. Studiosus.



HALAE SAXONVM  
Typis Pauli Graeberi. 1599.

a 5505 QK

